

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Praestantissimo domino Ioanni Spangenbergio, docenti Euangelium in  
Northusa, amico suo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

monitione, ut diligentius discat doctrinam Christianam. Mira est iuuentutis negligentia, in his tantis rebus cognoscendis. Sed nos, ut si quos possumus, excitemus, de causa matrimoniali respondimus. Ambrosio gubernati scholam, mittam hypodidascolas. Bene Vale, 14 Septembris.

Præstantissimo domino Ioanni Span-  
genbergio, docenti Euangelium in  
Northusa, amico suo,  
S. D.

Doleo exortum esse disidium inter te & unum collegam. Neque dubito quin ea res magnopere te exerceat, intelligentem quantum officiat gloriæ Euangelij fama disidij, et quos ludos præbeat aduersarijs. Colligerem autem omnia quæ arbitrarer ad te consolandum prodesse, nisi ea tibi nota esse statuerem. Multum in huiusmodi scandalis me cõsolatur, quod scio esse ἀναρχία λυαὴ, quæ diabolus excitat odio Euangelij, ut deterreat homines à doctrinæ genere: & ut nos quoq; frangat, ne doceamus. Itaq; te contra has diaboli insidias erigere debes, & ingenti animo despicere has offensiones: et tamen ratione etiam atq; arte mederi. Facile uinces aduersarium, si dissimulatis iniurijs pergas docere ea quæ & utilia sunt conscientijs, & ornant gloriâ Christi. Hoc enim doctrinæ genere retinentur au-  
ditoria.

ditoria. Tuus aduersarius rixabitur de puerilibus il-  
 lis spectaculis conseruandis, aut ulciscetur suos affe-  
 ctus. In concionibus, rem facit indignam isto loco.  
 Non diu habebit populi studia. Ac si qui ei applau-  
 dunt, uidentur abuti eius impudētia. Incitant enim,  
 non quia eius causam probent: sed quia iuuat eos,  
 quod Euangelium malē audiat propter hanc dissen-  
 sionē. Christus te gubernet, ut fortiter feras has of-  
 fensiones. Bene uale, 1533.

Clariss. uiro, egregia eruditione & pie-  
 tate præstanti, D. Ioanni Spangenbergio,  
 pastori Ecclesiæ Northulanæ,  
 domino ac amico suo uene-  
 rando, S. D.

Mitto tibi epistolam illustrissimi Ducis Prusiæ,  
 in qua te ad gubernationem scholæ recens constitu-  
 te inuiat. Arbitror enim doctoris medici prædica-  
 tionē te ei commendatum esse. Et profecto tua uir-  
 tus digna est fauore bonorum principum. Etsi arbi-  
 tror te istic ab Ecclesia retineri, quæ antea etiā mi-  
 grationem breuiorem deprecata est: tamen literas  
 misi, ut deliberes, quid ex re tua esse deas: ac mihi  
 per fortuitum tabellarium quam primum poteris,  
 respondeas. Princeps uult me hortatorem esse sus-  
 sciipiendi huius muneris, et optarim ei scholæ bene  
 consultum. Sed tua ætas et familia quid ferre que-